

I.

Die Bestätigungs-Urkunde des Gymnasiums
zu Hersfeld.

MAXIMILIANUS

Secundus, Divina favente Clementia, Electus Romanorum Imperator, Semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiae, et Slavoniæ etc. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiae, Stiriae, Carinthiae, Carniolæ, Lucemburgiæ, Wirtembergæ, Superioris ac Inferioris Silesiæ, Princeps Sueviæ, Marchio Sacri Romani Imperii Burgoviæ, Moraviæ, Superioris ac Inferioris Lusatiae, Comes Habsburgi, Tyrolis, Ferretis, Kiburgi et Geritiæ, Landgravius Alsatiæ, Dominus Marchiæ Slavonicæ, Portus Naonis et Salinarum etc. Recognoscimus et notum facimus tenore praesentium

Universis, Quod pro parte Venerabilis nostri ac Sacri Imperii Principis et devoti dilecti, Michaelis, Abbatis Monasterii Hirsfeldien, nobis humiliter expositum sit, qualiter pro singulari fervore et Zelo, quo cum Ecclesiæ, tam¹⁾ Reipublicae²⁾ utiliter commodare et gratificari arderet, Scholam quandam trivialem (ut vocant) in Civitate sua Hirsfeldien,

¹⁾ tam für tum, wie öfters.

²⁾ Reipublicae, sonst stets mit b geschrieben.

ad Dei Optimi maximi Laudem et honorem atque Christianæ Reipublicæ emolumentum egestate vere oppressæ Juventæ singulare Subsidiū erigere, et instaurare aggressus esset, ac proinde etiam de peculio suo quasi Castrensi et absque Abbatia ejusdem dispendio acquisitas opes in hunc finem et usum liberaliter contulisset, vereri autem, ne post suum insperatum obitum ac mortem tam laudabiliter institutum opus labefactari et prædictæ in hoc destinatæ impensæ ad alios prophanos usus a nonnullis transferri aut alioquin detentari possent; Ideoque nostrum implorando auxilium a nobis humiliter petiit, ut auctoritatem nostram Caesaream huc ¹⁾ tam laudabili instituto interponere et foundationem Scholæ prædictæ erectam, numinis nostri, Caesarei firmitate roborare dignaremur: Cujus quidem foundationis tenor de verbo ad verbum sequitur.

MICHAEL, Divina favente Clementia, confirmatus Abbas Regalis et Exemptæ Ecclesiæ Hersfeldensis, omnibus hasce literas nostras lecturis et visuris salutem et foelicitatem a vero omnis foelicitatis auctore, Servatore ac Domino nostro JHESU CHRISTO.

Cum primum divina plane misericordia, nullo nostro vel merito, vel bono ad regimen et administrationem Ecclesiæ et Abbatia nostræ supra dictæ evecti fuimus, Saepe multum et diu non tam nobiscum quam cum primaria Classis optimis ac præstantissimis viris deliberavimus, qua commoda ac decenti ratione talentum nostrum a DEO OPTIMO MAXIMO, omnium bonorum datore, conceditum ac concessum juxta voluntatem ipsius honesto ac liberali Foenori ²⁾, hoc turbulentissimo et ad ruinam tandem inclinante hujus mundi seculo, legitime quoque exponeremus. Tandem inter caetera nihil prius nihilque magis pium et necessarium, hoc praesertim temporis admodum difficili statu, quo quidem multa

¹⁾ huc d. i. huic.

²⁾ So das 5. Folioblatt, Binkelmann: Tenori; im Original mag Foenori gestanden haben.

optimæ indolis atque non poenitendæ expectationis ingenia, vel ob rerum privatarum angustiam vel ob praeceptorum doctorum inopiam, veluti obrutescere¹⁾ permetterentur, esse animadvertimus, quam pro nostra etiam Virili id providere ac prospicere, ut scientiæ et bonae artes liberaliaque studia, tam ad conservandam veram religionem et pietatem Christianam, quam ad rite gubernandam Rempubicam, propagandaeque Societatis humanæ commoda, graviter atque erudite traderentur, unde peritiam, industriam, eruditionem ac prudentiam Juventus olim vel Ecclesiæ, vel Reipublicæ praeficienda tanquam ex purissimo fonte hauriret. Eam ob rem notum esse hisce literis volumus omnibus et singulis, tam praesentibus quam futuris, quod praedeliberato ac maturo consilio habitoque consensu venerabilis²⁾ nostri dilecti Domini Ludovici Decani et Capituli praedictæ nostræ Ecclesiæ excitati ad hoc, tam³⁾ prophetico Vaticinio, quo jubemur, nutricii Ecclesiæ DEI esse, tum veterum Imperatorum, Principum ac nostri quoque ordinis honestorum virorum (quæ passim literarum monumentis celebrantur, hodieque adhuc⁴⁾ prosunt:) exemplis, Scholam novam, quam vocant Trivalem, in Civitate nostra Hersfeldia piis auspiciis, ac in DEI nomine auspiciamur, eamque in aedes nostras liberas⁵⁾ ad pomœria praedictæ nostræ Civitatis orientem versus spectantes, sedem quondam fratrum Minorum *ἀνυποθήτων* dictam, quas in hoc instauramus, transferimus, fundamus, collocamus, instituimus, erigimus, stabilimus, confirmamus, id summis Votis tam a DEO OPTIMO MAXIMO quam omnibus Successoribus nostris contendentes, ut istud⁶⁾ institutum nostrum, Cum

¹⁾ So überall.

²⁾ Mit unerablis beginnt der 2. Halbbogen.

³⁾ tam steht für tum auf dem 5. und 2. Halbbogen, vergl. S. 10 u. 5.; Winkelman hat tum.

⁴⁾ Nach adhuc hat Winkelman und der 2. Halbbogen publice.

⁵⁾ Auf dem 2. Halbbogen steht liberales, wie auch Winkelman schreibt.

⁶⁾ Auf dem 2. Folioblatt und bei Winkelman steht illud.

ad honorem et gloriam ipsius immortalis DEI, tum ¹⁾ ad rerum humanarum necessitatem (in quos usus omnes humani conatus, omnis doctrina, omnis eruditio merito destinari debent) quam commodissime dirigant, instituant, provehant. Ut autem hujus nostrae institutionis, foundationis ac voluntatis ratio clarius innotescat, in primis volumus, ut in hac Schola nostra vera religio ac pietatis studium, juxta Prophetica et Apostolica Sacrarum Literarum ²⁾ elogia, simpliciter absque fucō humanarum Traditionum, atque sine Sophistica Pubi Museae tradatur, ac phanaticorum spirituum Ecclesiae DEI consensum turbantium impia Dogmata vitentur. Deinde ut pro captu Iuventutis in suas Classes distributae, artes Logicae ad Trivium maxime spectantes, Grammatica videlicet, Dialectica et Rhetorica, ita uti par est, et earum ratio postulat ac requirit, si ingeniorum suppetit copia atque facultas, simul ac Graecae, ac si fieri possit, Hebraicae linguae rudimenta diligenter ac graviter ³⁾ tractentur et exerceantur. Praeterea cum homo absque Musica atque Arithmetica, quae utraque circa numeros versatur, a Brutis nihil differat, hasce artes superioribus adjungi omnino necessarium statuimus.

Quia vero nemo militem strenuum absque proposito stipendio agit, nemo in stadio absque constituto brabeio fortiter currit, et hisce praecipue qui in Castris Pallados militare debent, honestum otium vitaeque necessaria ad sustentandam hanc mortalem vitam, veluti praemii loco, proponenda sunt; Eam ob rem in Scholae hujus nostrae perpetuum usum, tam pro nobis, quam pro Successoribus nostris potissimum de peculio nostro quasi Castrensi salvis reliquis Abbatiae nostrae ab antiquo possessis bonis ad praetium ⁴⁾ et aestimationem quadraginta millium florenorum, cujus summae certitudo peculiari ad hoc a nobis confecto elencho solennisque ⁵⁾

¹⁾ Winkelman hat tam.

²⁾ Auf dem 2. Folioblatt und bei Winkelman: Scripturarum.

³⁾ Auf dem 6. Halbbogen von späterer Hand in graviter corrigiert.

⁴⁾ Auf dem 2. Halbbogen und bei Winkelman steht precium.

⁵⁾ So außer dem 6. auch der 2. Halbbogen, Winkelman: solennique.

cessionis nostræ instrumento continetur, conferimus, eidemque pio usui mancipamus, Ea scilicet ratione ut Viginti Adolēscētes tam ex nostra Jurisdictione, quam ex Principatu Hassiæ aliisque Vicinis Provinciis ad hoc selecti, qui et morum honestate et ingeniorum dexteritate commendabiles, eximia Jndole et¹⁾ probitate singulari praediti sint, ex annuis pensionibus ac proventibus supra memoratæ sortis ab Oeconomo in hoc instituendo publice alantur, iisdemque in aedibus Scholæ deputatis²⁾ diu noctuque morentur, singulis matutinis ac vespertinis temporibus, orationibus et praeactionibus, statis horis, vacent et bonarum Literarum studiis gnaviter incumbant.

Cum autem non omnes homines, ut de quibusdam prodiderunt historiæ, *αὐτοδίδακτοι* esse possint, sed bona ingenia etiam quemadmodum alioqui fertiles agri ut³⁾ plurimum diligenti cultura opus habeant, ad excitandos naturæ ingēnitos igniculos, cumq̃e gravissime a philosopho Aristotele stagirita animi puerorum tabulæ rasæ, in qua nihil quidem descriptum sit, omnia tamen describi possint, assimilentur, merito ad colenda⁴⁾ hujus modi ingenia⁵⁾ et ad excitandos illos igniculos et naturæ scintillas tenerorum mentibus innatas, Praeceptores cum pii tum undiquaque docti, nec non morum praestantia insignes eligendi atque coetui discentium praeficiendi erunt. Quibus Singulis et Cuilibet etiam pro modo et facultate eruditionis provectus⁶⁾ curæ et laboris sui mensura, salarium honestum et suæ dignitati ac statui conveniens attribui, ex supradictis reliquis redditibus volumus atque decernimus, quo liberalius studiorum suorum otio perfrui ac Juventuti suae fidei commissae diligentius invigilare, eamque in Sacris linguis et caeteris humanitatis artibus erudire com-

1) Der 2 Halbbogen und Winkelman haben ac.

2) Mit deputatis endet der 2. Halbbogen.

3) Winkelman hat et.

4) Winkelman hat extollenda.

5) Die Worte et ad excitandos illos igniculos fehlen bei Winkelman.

6) So der 6. Halbbogen, Winkelman: profectus.

modius possint. Quod si qui adolescentes in triviis hisce bene progressi fuerint, et reditus huic operi attributi forsitan residui superfuerint, eis spem facimus ad majores facultates celebrioresque Academias cum aliquo subsidio ex iisdem redditibus superfluis adspirandi.

Omnes autem huic Scholae¹⁾ addictos, tam²⁾ docentes, tum discentes omnino pietati, modestiae, temperantiae, continentiae, publicae tranquillitati, honestati, gravitati morum nec non reliquis Virtutibus, quantum possunt studere, cum primis decebit, hinc³⁾ fore in spem maximam venimus, DEUM Immortalem per Unigenitum Filium λόγον αἰδίου, mediante Spiritu Sancto, omnes conatus, omnia studia, omnia denique mutua officia benignissime fortunaturum. Illud porro adjectum volumus, si qua ratione, quod omen DEUS unicus omnis boni et auctor et conservator certissimus clementer avertat, contingeret, ut bona haec supra dicta pecuniae summa in aliud quam in Scholasticum hoc munus, converti unquam debeat, quod eo superveniente casu nobis et Successoribus nostris hujus institutionis, foundationis et erectionis, adeoque quicquid liberalitatis huic contulimus, perpetuam revocationem ad alios, cum pios tum Reipublicae necessarios usus expresse reservamus. Faxit CHRISTUS OPTIMUS MAXIMUS, ut opus isthuc,⁴⁾ quod in nobis clementer operatus est, in sui ipsius honorem et gloriam nec non Reipublicae Christianae utilitatem foeliciter usque ad hujus mundi finem succedat atque proficiat, Cui uni cum DEO PATRE et SPIRITU SANCTO, DEO Unitrino perpetua laus, honor et gloria, in aeterna Secula Amen. Datae sub Sigillo nostro Abbatiali in testimonium evidens omnium praemissorum⁵⁾

1) Winkelman hat nostrae hinter Scholae.

2) Vergl. S. 7. Winkelman: tum - cum.

3) Winkelman: sic.

4) So steht auf dem 7. Halbbogen, Winkelman: istud.

5) Winkelman: promissorum.

hisce appenso, manusque nostrae propriae subscriptione,¹⁾ nec non supra dicti nostri Decani et Conventus, sigillo corroboratae, Anno Dominicae incarnationis²⁾ Millesimo Quingentesimo Septuagesimo, ipso die Visitationis Deiparae Virginis Mariae.

Nos itaque tam honestis conatibus et frugalibus institutis gratiose faventes, considerantes ejusdem Abbatis Singularem erga Christianam Rempubliam propensionem ad imitationem Divorum Imperatorum et Regum Romanorum praedecessorum nostrorum specialem gratiam ei impartire volentes, omnia et singula Privilegia, Statuta, Donationes, Ordinationes et Decreta in praedictis literis contenta de verbo ad verbum pro sufficienter expressis habentes, in omnibus et singulis punctis, clausulis, sententiis et articulis motu proprio, ex certa Scientia, autoritate nostra Caesarea, ratificavimus, approbavimus, et confirmavimus, et tenore praesentium ratificamus, approbamus, et confirmamus, Supplentes omnes et singulos defectus, si qui fortassis ob cujusvis solennitatis, modi, styli aut formae omissionem, seu aliâs tam³⁾ juris quam facti, quomodo libet intervenissent in eisdem, Tenore praesentium Mandantes universis et singulis Electoribus et Principibus, tam Ecclesiasticis quam Secularibus, Archiepiscopis, Episcopis, Ducibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus et subditis Imperii Romani, cujuscunque status, gradus et praeminentiae extiterint, praesertim autem⁴⁾ dicti Abbatis Successoribus, ejusdemque Ecclesiae Praepositis, Decanis, officariis, item et Vicinis eorum locorum, nec non etiam iis, apud quos annuae pensiones et census ad praedictam Scholam deputati cedunt, quatenus dicto Abbati Hersfeldiae, tam in vivis existenti, quam post mortem ejus omnibus ejusdem Successoribus, nec

1) Die Worte: manusque nostrae propriae subscriptione fehlen in unserer Abschrift.

2) Mit incarnationis beginnt der 4. Halbbogen.

3) Winkelmann: tum.

4) Correctur, der 4. Halbbogen und Winkelmann haben aut.

non etiam Capitulo ibidem perpetuis ab hinc temporibus inpraelibata suae Scholae trivialis erectione, ac fundatione non modo nihil molestiae, negotii, aut impedimenti exhibeant, cum¹⁾ perturbare, aut aliquid sinistri in eo moliri conentur vel ab aliis id fieri patiantur, nec etiam redditus, pensiones et census ad conservationem Scholae praedictae et alimenta adolescentum deputatos intervertant, arrestent²⁾, detineant, aut in alios usus quocunque nomine censeantur, et quocunque etiam praetextu et colore id fieri contingat, convertant, sed annuatim fideliter et sine mora exsolvant, et alioque dictam institutionem et fundationem in suo vigore per omnia illibata conservent et tueantur³⁾, secus non facturi si quis aut hoc attentare praesumpserit, aut huic nostro Rescripto Caesareo temere contraire ausus fuerit, indignationem nostram gravissimam et mulctam quinquaginta marcharum auri puri ipso facto se noverit incursum, cujus paenae dimidiam partem fisco nostro Imperiali, alteram vero partis laesae usibus decernimus applicandam, harum testimonio literarum manu nostra subscriptarum, et sigilli nostri appensione munitarum. Datae in Civitate nostra Imperiali Spira Septima die mensis Novembris, Anno Domini Millesimo Quingentesimo Septuagesimo Regnorum nostrorum Romani et Hungarici Octavo, Bohemici vero Vigesimo Secundo

Maximilianus.

Vt. J. Bapt. Weber D.

Confirmatio pro Abbate Hirsfeldiae super
erectione Scholae Trivialis

Tho. Schober D.

Ad Mandatum Sacrae Caesareae
Majestatis proprium

Andreas Erstenberger.

¹⁾ So Winkelmann, der 4. Halbbogen hat eum.

²⁾ Winkelmann: arrestant. Auf dem 4. Halbbogen ist von späterer Hand das a in e verwandelt.

³⁾ Bei Winkelmann und auf dem 4. Folioblatt steht der Singular beider Verba. Der Plural ist offenbar nothwendig.